



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton


Ingolstadij, 1726

Casus X. De eadem re duobus successivè vendita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

gularis industria in hoc casu plane defuit, cum non minorem industriam adhiberi potuerit, quam imperare circumjacentibus rusticis, ut desideratum frumentum adveherent, ad quod totum ex officio obligabatur Commissarius. Dem licet in casu, quo ex una parte expressè dominus dicat, ut infimo pretio res sua vendatur; ex altera verò parte neque ex illius dictis, neque aliunde constet, quòd hoc infimo pretio in gratiam emptorum contentus esse velit, licet,

inquam, in hoc casu transmittetur, dominum sufficienter se declarasse, quòd pretio à se designato contentus esse velit; at non constat hæc mens Cæsaris in dato casu, cum consideratis circumstantijs videatur voluisse gratificari aliquantulum rusticis, nec totum etiam & justum pretium iisdem solvere. Accedit, uti diximus, quòd rustici in gratiam Cæsaris videantur aliquid remisisse de justo pretio tritici, unde lucrum Cæsari, non autem Commissarijs attribuendum.



CASUS X.

De eadem re duobus successivè vendita.

SEmpronius non sine dolore sui animi percipere cogitur, rem à se perfoluto jam pretio emptam, etiam alijcuidam, Eustachio scilicet, fuisse jam antea venditam, hinc.

- Q. 1. An venditio rei alienæ sit valida?
 Q. 2. Eadem res duobus vendita ad quem pertineat?
 Q. 3. Quale & quantum jus secundus emptor in rem sibi traditam acceperit?
 Q. 4. Quid si eadem res successivè duobus à non Domino fuerit vendita?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An Venditio rei alienæ sit valida?

- | | |
|--|---|
| 1. Quot modis res alienæ possint esse, explicatur. | 8. 9. 10. 11. 12. Satisfit objectionibus. |
| 2. In Venditione tam emptor quàm venditor, vel unus tantum istorum, sciunt rem esse alienam. | 13. Sciencter alienam rem ement non obligatur venditor de evitione. |
| 3. Res aliena vel est usu consumptibilis vel non? | 14. 15. 16. Satisfit fundamentis oppositis. |
| 4. Venditio rei etiam actu alienæ ignoranti vendita aliquàlter valet. | 17. Dubitans de re an sit aliena licitè illam emit cum proposito inquirendi veritatem, & rem domino comperto restituendi. |
| 5. Licet venditor sciverit, rem esse alienam. | 18. Res usu consumptibilis suppositis certis circumstantijs à dubitante vel sciente, etiam licitè emi poterit. |
| 6. Hinc vendens summ fecit acceptum ex tali venditione pretium. | |
| 7. Ut tamen rei venditæ dominium in ementem non fuerit translatum. | |

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Eadem res duobus vendita ad quem pertinet?

- | | |
|--|---|
| 19. Diversis modis eadem res diversis vendi potest. | 22. In dubio, num res duobus vendita primo aut secundo emptori sit tradita, debet illa restitui primo. |
| 20. Si Res primo emptori à venditore, jam extradita vendatur denuo secundo, nullum huic jus in illum competet. | 23. Nisi secundus pretium, non autem primus persolverit. |
| 21. Res duobus successivè in solidum vendita & nulli adhuc extradita debet primo emptori consignari. | 24. Posterior tamen emptor preferendus erit, si res illi tradita, & pretium ab eo acceptum, vel de hoc fides eidem habita fuerit. |

25. Licet fuerit contra primi emptoris jus personale res distracta.
26. Talis venditio spectata cum ipsa executione non est nulla.
27. Et si in re duobus obligata prior contrahens praevaleat.
28. 29. Satisfit adhuc alijs 2. objectionibus.
30. Que omnia procedunt, etsi primo emptori promiserit venditor illam rem à se nulli alij vendendam.
31. 32. Et 33. Satisfit rationibus oppositis.
34. Nec obstat, quod hæc promissio nulli alij vendendi sit juramento confirmata.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quale & quantum jus secundus Emptor in rem sibi traditam acceperit?

35. Rem extraditam à secundo & prioris emptionis conscio emptore revocare intra annum primus emptor poterit.
36. Rem tamen istam, tale intra tempus non revocatam non amplius primo emptori tenebitur restituere secundus.
37. Solvitur objectio.
38. Tenebitur tamen secundus primo emptori in defectum venditoris
- solvere interesse, si hunc positivè ad hoc induxerit.
39. Quod si secundus emptor rem quidem acceperit, pro illa autem pretium nec persolverit, nec de hoc eidem fides habita à venditore fuerit, talis res primo emptori restituenda erit.
40. Si res secundo emptori tradita, primo hypothecata fuerit, Dominium ab hoc revocabile ille solummodo adquisiverit.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid Juris, si eadem res successivè duobus à non Domino fuerit vendita?

41. E duobus eandem rem à non Domino bona fide ementibus praevallet, cui illa primò fuerit tradita.
42. E duobus bona fide eandem rem à duobus non Dominis ementibus in dubio praevaleret illius rei possessor.
R 43. Si

§3. Si res taliter à duobus empta evicione prævalebit, cui prior tradita fuerit.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An venditio rei alienæ sit valida?

- 1 **P**ossunt res alienæ esse dupliciter potentiâ scilicet & actu. potentiâ alienæ dicuntur, quæ adhuc quidem sub dominio alicujus existunt, alteri tamen quodammodo jam sunt obligatæ, in quantum illorum dominus earum dominium in alterum transferre debet, uti fit, quando accepto pretio equum alteri vendidi, necdum tamen extradidi, actu aliena dicuntur, quæ non sub meo, sed alterius dominio existunt.
- 2 **2.** Quando res aliena venditur, uterque tam emptor quam venditor possunt esse conscij, quod res vendenda sit aliena, vel solus emptor, aut solus venditor aut denique possunt esse dubij.
- 3 **3.** Res talis aliena potest esse vel usu consumptibilis, vel non.
- 4 **Dico 1.** Si res hæc etiam actu aliena Sempronio ignoranti fuerit vendita, validum aliquo modo fuisse contractum. Ita communis, & constat ex *Le: rem alienam*, & *Le: ex empto ff. de contrabenda emptione*, censent hoc Antonius Gomez, de contract. cap. 2, n. 8, Mol. tract. 2. disp. 327. covulus 2. Rebellus 2. p. de oblig. Jus. l. 1. q. 7. n. 1. Lessius l. 2. cap. 20. dub. 18. n. 162. Palao disp. 1. p. 13.
- Dico 2.** Eundem contractum etiam fuisse validum, licet venditor sciverit rem hanc alienam esse, modò emptor bona fide processerit. Est communis, & constat ex ratione pro tertia conclusione afferenda.
- Dico 3.** Ejusmodi etiam malæ fidei venditorem ac furem suum fecisse pretium ex tali alienæ rei venditione acceptum, ita Layman lib. 3. de Jus. tract. 4. c. 12. §. 3. n. 21. cum alijs habetur in *Le: qui vias § ult. de furtis ibi: Nummus, qui redactus est ex furtivo, non est furtivus. § Lt. 46. in fine ff. de furtis*. Ratio est, quod aliud sit res aliud pretium rei, ut habetur *Le. 28. de Novat. Lt. 4. §. 1. ff. de usufruct. Lt. 11. ff. de V. S.* Ex hoc jam formatur resolutionem pro priore conclusione; si talis contractus non fuit validus, tunc fur vendens non acquisivisset dominium pretij: at qui juxta dictam legem acquisivit

illius dominium : ergo ille erat validus.

7 Dico. 4. Eriam si talis rei actu alienæ venditio fuerit valida, dominium tamen rei venditæ in emptorem etiam bonæ fidei nequam erat translatum. Probatum conclusio. ex *Lege rem alienam ff. de contrahenda emptione*. Et tenetur à communi doctorum. Item ex *l. 6. Cod. de rebus alien. non alienand.* § *Le. 3. C. de rebus venditis*, habetur etiam *Le. 11. ff. de Reg. Juris* ibi, quod nostrum est sine facto nostro in alium transferri non potest.

Uterius exceptis paucis casibus *vi legis 1. Cod. si quis sibi vel alteri : non meum statim est*, quod ex mea pecunia comparatum est. Denique venditor in emptorem transferre non potest, quod ipse non habebat *vi Legis rem alienam § Le. ex empto 11. ff. de action. empti*.

8 Ob. contra hanc ultimam conclusionem 1. Est de essentia venditionis, ut transferat dominium : ergo si fuit valida translatum erat dominium. Probatum antecedens ex definitione à Soto tradita. venditio est distractio rei pro pretio ; hoc est contractus, quo res alienatur. *¶* hanc Soti definitionem à Lugone atque Molina propterea rejici, quia contraria est *Legi rem alienam ff. de contrahenda emptione*, veram emptio-nem in tali casu intercedere asserentis. Deim. si dominium rei

in quacunque venditione transfertur in emptorem, tunc etiam dominium pretij pro re empta perfoluti, licet hoc sit furtivum transferetur in vendentem, vel si hoc non fiat, talis emptio pretio furtivo facta non foret valida : atqui est valida & non transfertur dominium pretij furtivi : ergo &c. Prob. min. ex *Legis penult. Cod. si quis alteri vel sibi*. Est igitur de ratione venditionis, ut quantum est ex parte contrahentium sit translativa dominij pro pretio, etsi per accidens propter impotentiam non transferatur.

Dices in *Lege cum manu sata §. 9. ult. ff. de contrah. empti*. habetur : nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur, ne ad emptorem transeat, sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus : ergo &c. *¶* distinguo consequens : ergo talis rei alienæ à sciente facta distractio non est valida, si in vendente defuerit intentio transferendi dominium. Concedo. si quantum fuit ex parte ipsius adfuit hæc intentio, negatur.

Ob. 2. Emptor dominium pretij in venditorem duntaxat transtulit sub hac conditione, si ipse acquisiverit dominium rei à se empta : ergo si hoc non acquisivit, pretium neque factum fuit venditoris. *¶* neg. ant. Ratio est, quod emens judicet rem hanc venditoris esse, hinc non

non habet causam apponendi hanc conditionem: ergo non fuit facta sub hac conditione. Præsertim cum emptor sciat, si res foret aliena, venditorem sibi de evictione obligatum esse.

¶ Ob. 3. In contractibus debet servari æqualitas: atqui non servaretur. Probatur min. venditor fieret Dominus pretij, non autem emptor rei venditæ: ergo &c. ¶ dist. hoc ultimum, non foret æqualitas, nisi venditor obligatus, esset emptori de evictione rei concedo. Si obligatus sit, neg. venditorem de evictione teneri emptori habetur *in toto tit. 2. lib. 21. ff. de rei evictione.*

¶ Ob. 4. Omnis valida venditio, habet suos effectus: atqui dicta nullum habet, si non transferat dominium in emptorem: ergo &c. ¶ effectum hujus venditionis esse, ut emptori talem rem habere liceat, usquedum evicta fuerit, & ut hac evicta venditor emptori ad evictionem, & ad totum interesse teneatur juxta *Legem 11. ff. de action. empti.* ac denique tertio, ut venditor evadat Dominus pretij.

Dices: vel jus ad retinendam rem taliter emptam, etiam procederet in re furtiva, vel solum in re non furtiva, item sive venditor sciat esse rem furtivam, sive nesciat, neutrum potest dici: ergo &c. ¶ *ex Lege 34. §. 3. ff. hoc tit. seu de contrab. empt. colligi affirmativam.* Si emptor

fuerit inscius, quod res emptæ sit aliena.

Dico ¶. Invalidam tamen venditionem fuisse, quoad hoc ut venditor teneatur emptori de evictione, si emptor conscius fuerat, rem à se emptam alienam esse, etiam præscindendo ab eo, utrum venditor hoc etiam sciat, vel ignoret, consequenter venditorem nec ad evictionem præstandam, nec ad alia damna reparanda obstrictum emptori fore, nisi aliam conventionem fecerint. Colligitur *ex Lege 27. si fundum Cod. de evict. & Lege emptorem §. 1. ff. de actionibus.* Probatur si emptor est conscius hujus vitij, & tamen contrahit, tunc ultro in se suscipit illius periculum, si non de contrario expressè conveniunt. Hoc ipsum sentiunt Bartolus, Antonius Gomez, Gregorius Lopez, Mol. *tract. 1. disp. 327. cons. 2.* Rebellus *2. pa. de oblig. just. lib. 1. q. 7. n. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 18. n. 162.* Palao *disp. 1. pu. 13.*

¶ Ob. *Lex 18. ff. b. l. §. 11. 14 ff. de act. empt.* absolute ac generaliter statuit, absque distinctione omnem rei alienæ venditionem valere non distinguens, an emptor hujus vitij, fuerit conscius vel non, & sola rei furtivæ venditio in *Lege si empt. 34. §. 3. ff. de contrab. empt.* excipitur: ergo nostra conclusio non subsistit. ¶ dist. conf. ergo nostra conclusio non subsistit, ac valebit talis.

talis venditio, nisi *Lex si fundum*.
 27. *Cod. de eviçione*: generaliter
 asserat emptori conscio, quod fun-
 dus alienus, vel obligatus sit, ven-
 ditorem nequaquam de eviçione
 teneri: conc. si istud hæc lex as-
 serat. nego.

15. Ob. 2. Non potest dici, an ta-
 lis venditio ita sit invalida, ut etiam
 pretium rei vendita emptori con-
 scio vitij debeat venditor reddere,
 ac rem venditam recuperare, vel
 an non sit ita invalida? R. jux-
 ta Joannem Salas *tract. de usur.*
dub. 40. in fin., Palaum *disp. 1. pu.*
 13, n. 4. non esse quoad hunc ef-
 fectum alienationem nullam, sed
 solum quoad hoc, ut venditor non
 teneatur quoad eviçionem. Ratio
 est, quod emptor sciens rem
 hanc esse alienam, si tamen ven-
 ditori dedit pretium, idem do-
 nasse præsumatur, nisi alia expres-
 sa conventio fuerit facta. Ita ha-
 betur *Leg. 27. C. de eviç. ibi: si fun-*
dum sciens alienum, vel obligatum
compararet Anthenocles, nec quic-
quam de eviçione convenit, quod
eo nomine dedit, contra juris poscit
rationem.

16. Ob. 3. Si etiam emptor con-
 scius fuerat, quod res sit aliena,
 tunc iniquè retinet pretium: er-
 go &c. R. conc. ant. & dico
 in poenam esse à iudice addicen-
 dam fisco, & ante hunc Domi-
 no rei alienatæ, si hæc ab illo re-
 cuperari, eò quòd jam perierit,
 non amplius possit; quia autem
 privatio pretij habet rationem pœ-

næ, hinc ab emptore usque dum
 ad hanc condemnatus fuerit, po-
 terit retineri.

Dico 6. In dubio, utrum res
 aliena sit, nec ne, licitè res ali-
 qua emitur cum proposito inqui-
 rendi veritatem, & postea com-
 perto verò Domino restituendi.
 Ita Covarr. in *Regula peccatum p.*
3. n. 4. Medina *C. de restit. §. si*
verò q. 10. Rebellus *p. 2. de Just.*
l. 1. q. 7. n. 7. Probatur, quan-
 do nulla injuria Domino infertur,
 sed hujus potius negotium utili-
 ter geritur, licitè sit emptio: sed:
 ergo &c.

Dico 7. Si res empta usû con-
 sumptibilis fuit, sive emptor sci-
 verit, sive dubitaverit, an res
 aliena sit, potuit illam licitè em-
 ere, si judicaverit, venditorem
 non fieri inde impotentem ad sa-
 tisfaciendum Domino, & re ipsa
 etiam satisfacturum per aliam ejus-
 dem speciei, ac bonitatis, & rei
 empta omnino æquivalentem, in-
 super nullum ex mora ipsi Domi-
 no damnum oboriatur. Ita senti-
 unt Joan. Medina *q. 4. de rebus*
per usur. acquisit: Molina *tract.*
2. de Just. D. 330. Rebellus *p. 2. de*
Just. l. 1. q. 7. Salas *de usur. dub.*
42. n. 3. cum communi aliorum.
 Probatur. invitus rationabiliter non
 potest esse Dominus, quando al-
 tera ejusdem bonitatis, & quali-
 tatis res absque ulla mora, & in-
 commodo illi redditur, sed po-
 nitur hoc fieri: ergo &c. Obli-
 gatus tamen ejusmodi emptor ma-
 R. 3; net:

net: rem suo Domino non debito tempore redditam in defectum principalis debitoris restituere, vel compensare; hoc enim animo ei-

dem ab initio res emenda erat, ut absque peccato contractum celebret.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Eadem res duobus vendita ad quem pertineat?

19 **E**adem res diversis modis potest diversis fuisse vendita, ab ipso scilicet Domino vel à non Domino, 2. Potuit uni fuisse vendita, & etiam extradita. postea autem primum vendi. 3. utraque venditio potuit fuisse celebrata, & primum postea alterutri duorum ementium fuisse tradita. 4. Res duobus vendita & extradita potest existere vel apud alterutrum ementium vel penes tertium. 5. ut primo emptori nominatim promiserit venditor, se illam nulli postea alteri venditurum esse. His præmissis

20 **Dico 1.** Si res cum dominio illius primo emptori jam extradita, denuò eo ipso à venditore alteri vendatur, posteriori huic emptori nullum potius jus in rem sibi taliter venditam competet. ita communis. Ratio est, translatione domini primus emptor jam obtinuit jus in re tali, alter autem emptor habet duntaxat jus ad rem personale: atqui jus reale præponendum est juri personali: ergo: minorem pluribus com-

probant Antonius Gomez 2. variar. cap. n. 20. Molina disp. 369. Rebell. l. 9. q. 17. sect. 3. n. 20. Lessius l. 2. cap. 21. dub. 20. Pe-lao pu. 27. disp. 5. Nullus enim in alterum potest transferre aliquid vel majus jus, quam quod ipse habet: ergo si ipse venditor post factam traditionem primo emptori nullum amplius habuit jus in rem semel alienatam, non potuit in alterum venditorem tale jus transferre: atqui nullum tunc amplius habebat jus in re, eò quod per traditionem rei venditæ in primum emptorem dominium translatum fuerit. *VI. Legis traditionibus 20. C. de pactis traditionibus, Et usucapionibus, dominia rerum non nudis pactis transferuntur.* Item *Leg. quoties C. de rei vindicatione, quoties duobus in solidum prædium distrabitur, manifestius est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorum.*

Dico 2. Si eadem res pluribus successivè in solidum est vendita, & neutri jus in ea quæsitum, eo quod nulli illorum fuerit tradita,

data, vel sola venditione dominium absque traditione acquisitum, priori emptori res erit tradenda: ratio desumitur ex *Lege in operis ff. locati, item ex Lege quoties Cod. de rei vindicat: dein vi regule 55. Juris in 6. prior tempore est prior in jure.* Probatum tertio ex communi omnium Authorum consensu: ergo &c.

22 Dico 3. Si res eadem pluribus successivè in solidum fuerit vendita, dubitetur autem, an alicuj aut cui res sit priùs tradita, talis res erit tradenda primo emptori. Probatum, primus emptor habet suam rationem fundatam, eo quod de jure ipsi debuerit res vendita extrahi. 2. Si res ejdem non fuisset tradita, esset ramen tradenda, ut illius injuria repararetur.

23 Baldus tamen cum Joanne alijsque relatis à *Coovar. lib. 2. varia. l. 19. n. 6.* Tuetur, secundo rem in tali dubio esse tradendam, quando hic pretium numeraverit, & quod primus persolverit probari nequeat id ipsum sentiunt cum *Coovar. Lessius l. 2. cap. 21. dub. 20. in fine Palao puncto 27. disp. 5. de Just. n. 13.*

24 Dico 4. Quando pluribus eadem res successivè in solidum vendita, est posteriori tradita, & ab eo pretium acceptum, vel fides de eo habita præferendum esse emptorem posteriorem. Si bona fide & incius primæ vendi-

tionis fuerit. *Coovar. l. 2. var. 29. n. 8. Molina tract. 2. disp. 369. n. 6. Rebellus p. 2. lib. 9. q. 17. n. 21. Lessius l. 2. c. 21 n. 140.* Ratio habetur in *Lege quoties 15. C. de rebus venditis ibi, quoties duobus in solidum prædium jure distrabitur, manifesti juris est, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem.* Idem habetur *Lege qui tibi Cod. de hered. : vel act. vend. Le. si ancillam Cod. de act. empti : Le. qui tibi Cod. de his, qui à non Domino manu : Le. multum interest in fine Cod. si quis alteri vel sibi.*

Probatum ratione, nudus contractus venditionis sine traditione non transfert regulariter dominium in emptorem: ergo etiam facta venditione si traditio non accesserit, dominium rei venditæ mansit apud Dominum venditorem: ergo si denuò secunda vice res illa alteri emptori vendita & extrahita fuerit accepta vel habita fide de pretio acquisivit iste jus in re.

Confirmatur, ex sola venditione primus emptor non acquisivit dominium & jus in re seu reale, sed tantum personale & ad rem, vi cujus venditorem personali actione duntaxat convenire possit, posterior autem emptor facta traditione jus quoddam reale in rem emptam, ac sibi traditam acquisivit: ergo &c.

Ob. 1. *Juxta Legem 15. C. 25 de R. V.* quando res est duobus ven-

vendita, is, cui priori res est tradita, tunc solum assumatur potior, quando prædium jure distractum: ergo licet aliqua res fuerit tradita, si tamen ejdem jure non fuit distracta, non erit ille potior: atqui secundo emptori res jam alij antea vendita non erat alienata jure, sed cum injuria primi emptoris: ergo &c. Item talis venditor ob contractum secundum tenetur pena falsi Leg. 21. ff. ad Leg. Corneliam. de fals. 24. distinguo antecedens, tunc est potior, quando censetur jure (hoc est validè, & non contra leges irritantes talem distractionem) esse prædium distractum. Concedo, quando jure non prohibente, seu contra leges prohibentes quidem, non tamen irritantes distractionem prædium est alienatum nego antecedens & distinguo consequens: ergo etiam talis alienatio posterior non faciet secundum emptorem potior, si alienatio hæc non fuit jure seu juxta leges valorem tribuentes tali actui facta: concedo, si non jure, seu contra leges solum prohibentes est facta: nego.

26 Ob. 2. Secunda talis venditio fuit nulla: ergo ex illa possessor secundus non evasit potior, probatur antecedens. Si fuisset valida, tunc venditor vi illius fuisset obligatus ad tradendam secundo emptori rem illam: atqui non fuit obligatus, quia primo emp-

tori erat tradenda. Respondeo distinguo antecedens, talis venditio est nulla si seorsim, & præscindendo ab executione spectetur transeat, si spectetur ut conjuncta cum ipsa executione, negatur. Prima venditio reliquit venditori adhuc suum dominium: ergo etiam potestatem alienandi: ergo alienatio talis fuit valida juxta Leg. 6. Cod. de Hæred. vel ali. vend.

Ob. 3. Vi Legis 12. princ. ff. qui potior in pignore. Quando eadem res est duobus obligata, is prævalet, qui prior contraxit, licet nondum possessionem nactus fuerit: ergo etiam is prævalet, qui prior talem rem emit. Respondeo nego consequentiam, quia in casu dictæ legis duodecimæ est sermo de hypotheca: atqui non est paritas inter hypothecam, & ipsum dominium: ut enim hoc acquiramus, necessaria est traditio rei, Hypotheca vero constituitur nudo pacto, nec opus est traditione: ergo qui prius hypothecam habuit etiam prius jus reale in illam acquisivit, consequenter est potior, contrarium se habet in Dominio per venditionem obtinendo.

Ob. 4. Potest dici, in citato a nobis Lege 13. Cod. de R. V. resolvi alium casum, nempe quo possessio prædij antecedente tempore jam fuit vendita, & tradita, & postea primum secundo vendita: ergo &c. Respondeo negando, ratio

ratio est, quod hoc sit extra omnem controversiam, & hinc imperator rescripisset de casu, de quo non poterat esse prudens ratio dubitandi.

29 Ob. 5. vel nostra conclusio procederet tam in casu veræ, quam fictæ traditionis secundo emptori factæ, vel tantum in casu veræ traditionis & neutrum potest dici: ergo &c.

R. in utroque: consequenter sufficiet, quod emptori sit instrumentum traditum *arg. legis 1. C. de donat.*

30 Dico 5. hæctenus dicta etiam locum habere, licet venditor nominatim promiserit primo emptori, se illam rem nulli alteri venditurum esse ita Glette in *Q. R. Juris ex 2. Pandectarum parte. Quæstione 17. n. 8.* probatur, tale pactum solam personam venditoris non autem rem ipsam afficit, ita ut jus reale in hac emptori primo concedat: ergo non impedit translationem dominij in secundum emptorem faciendam.

Confirmatur, sponsalia cum aliqua contrahens promittit huic se cum nulla alia contracturum nuptias; hac tamen non obstante promissione validè cum alia matrimonio contrahit.

Confirmatur 2. Quilibet venditor implicite saltem promittit, se talem rem nulli alij venditurum esse, & hæc implicita promissio non impedit translationem domi-

nij, si secundo res illa fuerit vendita, & extradita.

Confirmatur 3. Etiam si donationi lex dicatur, ne res alienetur, non obstante hoc pacto dominium rei transfertur in accipientem: ergo idem de venditione tenendum. Probatur ant. in *Lege 3. Cod. de condit. ob caus. dat.* datur donatori conditio in alienantem, non autem vindictio in possessorem tertium.

Ob. 1. *Lege 42. ff. de usucapionibus Lege 5. §. penultimo ff. de rebus eor. qui sub tut. sunt. Lege ult. §. 2. & 3. C. Com. de Leg. quando lege vel testamento prohibetur abalienatio*, impeditur translatio dominij: ergo etiam, quando alienatio prohibetur pacto. Probatur conf. in *Lege ultima Cod. de rebus alien. non alienand.* species istæ conjunguntur: ergo &c.

R. dist. ant. probationis. In hac lege hæc duo conjunguntur, in quantum utraque posterior alienatio est illicita: conc. in quantum est invalida. nego antecedens, & distinguo consequens: ergo etiam posterior venditio erit illicita. concedo: invalida, negatur.

Ob. 2. In *Lege ea quidem mancipia 5. tit. 56. Cod. si mancipium ita venierit.* pactum venditioni adjectum, ne servus manumittatur, impedit libertatem: ergo etiam pactum ne res alij vendatur, impedit translationem dominij.

R. Nego consequentiam. prius enim est specialiter in dicta lege

S

statu-

statutum, non autem posterius. Deinde ex speciali dispositione citata legis memoratum pactum ipsius servi personam censetur afficere, pactum autem non vendendi rem alteri, non hanc sed venditorem afficit.

³³ Ob. 3. *Vi Legis septima §. ult. ff. de distract. pignorum.* Quando Creditor pactus est cum debitore, ne hypothea vendatur, venditio contra hoc pactum postea facta nulla est: ergo &c. ³⁴ nego paritatem. Ratio est: vi pacti in antecedente positi Creditor retinet salvum jus reale in pignore, vi cuius proinde à quocunque possessore illud avocare potest, consequenter talis alienatio

est invalida, nihil simile reperitur in nostro casu.

Dico 6. Etiam si prima emptio juramento fuerit confirmata, posteriolem tamen emptorem secuta traditione, ac soluto pretio, vel sola fide de eo habita preferendum esse. Ita Covarr. *de pign. p. 1. §. 4. n. 2.* & *Epitom. de Spons. p. 1. c. 5. num. 9.* Molina, *Lessius loco cit.* *Guttier de Juramentis c. 30. n. 4.* Probatur juramentum hoc ejusmodi venditorem duntaxat perjurum effici, neququam autem translationem dominij impedit. Probatur dominium transfertur in alterum per traditionem: ergo &c.

§. III.

Resolvitur tertium Quasitum.

Quale: & quantum jus secundus emptor in rem sibi traditam acceperit?

EX dictis superius constat, secundum emptorem non fieri dominum rei, quæ jam actu aliena, & sub prioris emptoris dominio fuerat. Consequenter etiam patet Sempronio nihil juris competere ad rem cum notitia tali emptam. Superest, ut de re potentia tantum aliena, & primo emptori necdum extradita loquamur, Igitur,

Dico. Si secundus emptor prioris venditionis fuerit conscius, & ceteris eidem soli res talis fuerit extradita, poterit tamen istam, in suam fraudem alienatam à secundo emptore primus revocare, ac evincere intra annum à die notitia habitæ. Ita cum Baldo in *Rubri. C. que in fraudem Creditorum.* *Jafone, Salejeto, alisque Covarruv. lib. 2. varia. c. 19. num. 5.* Mo-

Molina *tract. 2. disp. 369. n. 9.*
 Lessius *lib. 2. c. 21. n. 142.* Lay-
 man. *lib. 3. Theol. sect. 5. tract. 4.*
c. 17. S. 4. n. 19. Ratio conclu-
 sionis habetur in *Lege 1. § seq. ff.*
que in fraudem Creditorum. quod
 si autem annus fuerit transactus,
 in foro externo ad nullam restitu-
 tionem talis secundus emptor
 obligatus erit. Juxta *Legem pri-*
mam § Legem aut Prætor ff. eodem
§ Lege penultima Cod. eodem. Les-
 sium, Rebellum, Molinam, Lay-
 man *antea citatos.*

36 Dico 2. Etiam si talis emptor se-
 cundus hujus fraudis conscius
 fuerit; si tamen primus emptor
 rem secundo emptori jam extra-
 ditam debito tempore non revo-
 caverit, secundus emptor non te-
 nebitur per se talem rem eidem
 restituere. Ita contra Lessium *lib.*
2. c. 21. dub. 20. n. 142. Petrum
 Navarr. & Molinam. Ratio est,
 dominium talis rei est actu penes
 secundum emptorem, & nun-
 quam fuit apud primum: ergo ad
 ipsam rem restituendam non erit
 obligatus.

Confirmatur. Neque ex re ac-
 cepta, neque ex injusta acceptio-
 ne ad rem talem extradendam
 potest obligari. Non ex primo,
 quia verum illius rei dominium
 obtinuit, non ex posteriori, quia
 omnino nulla ex parte emptoris
 secundi, primo emptori illata fue-
 rat injuria; cum ipse rem à ve-
 ro Domino accipiat, peccatum
 verò venditoris ob suum commo-

dum permittat, vel si aliquam in-
 juriam intulit, potest hanc aliter
 compensare præstando primo emp-
 tortori interesse.

Ob. cum Lessio. Si emptor se-
 cundus fuit conscius fraudis, in-
 super ipsum venditorem ad secun-
 dum hanc sibi faciendam vendi-
 tionem induxerat, fuit ille injusta
 causa damni, quod primus emp-
 tor subiverat: ergo ad hoc repa-
 randum erit obligatus: atqui non
 potest aliter reparare, nisi eidem
 restituendo rem talem: ergo &c.

37 R. nego minorem. Reparari
 enim hoc damnum potest, si in
 defectum venditoris solvat inter-
 esse. Hinc

Dico 3. Talis secundus emp-
 tor si fuerat fraudis conscius, in
 defectum venditoris tenetur pri-
 mo emptori solvere interesse. Ita
 Palao *de Just. disp. 5. p. 27. n. 11.*
 & *disp. 1. de Just. pu. 14.* Saltem
 si venditorem positivè ad sibi tra-
 dendam induxit. Quòd si autem
 eundem positivè non induxerit,
 sed negativè duntaxat se habuerit,
 volunt aliqui eundem contra cha-
 riteratem duntaxat peccasse.

38 Probatur. Talis emptor est cau-
 sa efficiens damni primo emptori
 illati quoad executionem, insuper
 plus ad illum actum contribuit,
 quàm consulens & consentiens:
 ergo si isti ad reparandum tale
 damnum sunt obligati, obligatus
 etiam noster secundus emptor erit.

Confirmatur. venditor mani-
 feste injuriam intulit primo emp-
 tortori,
 S 2

tori, & hujus complex est secundus emptor.

39 Dico 4. Si emptor secundus rem talem acceperit quidem; pro illa verò pretium non persolverit, nec de hoc fides eidem habita fuerit, preferendus secundo erit emptor primus. Ratio est: in tali casu secundus non accepit dominium rei sibi tradite: ergo primus emptor; quia prior fuit tempore, erit etiam potior jure, antecedens constat ex §. 41. Instit. de R. V. ibi: *vendite verò res & tradite non aliter emptori adquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ej satisfecerit, velut ex promissione aut pignore dato &c.* Sed si is, qui vendidit fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est statim rem emptoris fieri, idem habetur

Lege 19. ff. de contr. empt. & Lege, ut res 53. ff. eodem & Lege Procuratoris 5. §. 18. ff. de tributor. venditor enim, si fidem de pretio non habuit, censetur sibi ejusmodi rei dominium reservasse.

Dico 5. Quod si tamen res secundo vendita & extradita specialiter primo emptori hypothecata fuerit, secundus emptor nullum firmum, sed revocabile à primo, duntaxat dominium in ejusmodi rem acquisivit. Conclusio probatur ex Lege si Creditor §. fin. qui potiores in pignore ibi: *Nam & in pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adus potiore esse priorem.* idem tenent ibidem Glossa: Bart: Angel: Salicet & alij citati apud Palam. n. 9. loci adducti.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

Quid si eadem res successivè duobus à non Domino fuerit vendita?

Hucusquè vidimus: quid in hac re tenendum, si à Domino eadem res duobus successivè fuerit vendita, superest, ut examinemus, quid faciendum, si non à Domino sed à non Domino duobus distraeta fuerit; quia autem contingere potuit, ut duo distincti non Domini,

vel unus non Dominus duobus successivè eandem rem vendiderint. hinc.

Dico 1. Si eadem res ab eodem non Domino diversis bonæ fide ementibus fuerit vendita, prævalebit ille, cuj priori res tradita fuerit. ita habetur in Lege, sive autem emptor 9. §. 4. ff. de publi-

publiciana in rem actione probatur. si res alicui post factam venditionem jam fuit tradita, omne jus, quod venditor in illam rem habebat, in emptorem fuit translatum: ergo non potuit novum quoddam jus in alterum emptorem transferre secunda sua venditione: ergo neque iste acquirere §. autem 5. sequenti innuit Juris Consultus hanc dispositionem non procedere in rebus, quæ usucapi non possunt, puta furtivis, vel in servo fugitivo.

41 Dico 2. Si à duobus non Dominis res duobus bona fide ementibus fuerit vendita, & inter hos ipsosmet duos emptores disceptatio exorta fuerit, quisnam illorum prævaleat, prævalebit possessor talis rei. ita D. Glettle in *QQ. Juris ex 2. parte Pandectarum Q. 12. n. 12.* probatur. in tali casu est uterque emptor æquali titulo munitus: ergo locus erit dictæ Legi 9. §. 4. meliorem esse conditionem possidentis.

43 Dico 4. Si res duobus successivè bona fide ementibus à diversis non Dominis vendita, fuerit apud alium tertium possessorem, & uter horum ementium evincere actione publiciana possit, disceptetur, ille prævalebit, cui tempore priori res tradita fuerit. ita habetur in *Le. 31. §. ult. ff. de actione empti venditi* Probatur in tali casu ejusmodi res non potest relinqui tertio

possidenti, nec pro indiviso transcribi utrique, nec adjudicari illi, cui posteriori tempore res fuit tradita, neque possidens obligari ut utrique æqualiter satisfaciatur: neque uni soli, cui voluerit Judex favere: nec adjudicari posteriori ementi: ergo illi, cui priori res erat tradita, erit addicenda. Probatur primum membrum antecedentis. præponeretur hac ratione iniquus possessor, & prævaleret habentibus justum titulum: sed hoc non debet fieri: ergo &c.

Major constat, quia reliqui duo ementes ex suo contractu titulum ad illam rem ponuntur retinere.

Probatur etiam secundum membrum, talis res est uni vel alteri tota devincta & obligata: ergo non potest utrique pro indiviso attribui. Probatur consequentia, hac ratione privaretur alteruter illorum suo jure totali in illam rem, eò quod solum inadæquatam in illam dominium eidem à judice assignaretur: ergo &c.

Probatur etiam tertium membrum, possidens ex re accepta duntaxat obligatur ad unicam restitutionem: ergo non poterit obligari ad duplicatam ejusmodi rei restitutionem utrique totaliter faciendam.


Probatur etiam quartum membrum. si uni, cui voluerit ipse Judex, res fuerit adjudicata,

S 3 tunc

tunc jus alterius erit læsum : ergo non poterit cui voluerit adjudicare. Probatur antecedens. alter habet æqualem titulum ad illam rem : ergo si alteri & non huic pro suo lubitu rem tradiderit Judex alterius jus læsit.

Probatur etiam quintum membrum : si duo habeant æqualem titulum , tunc possessor prior ratione hujus suæ prioritatis in tempore habet aliquam prærogativam præ posterius possiden-

te vi Legis 31. §. ultimo : ff. de actione empt. vend. : ergo non debet præ illo tradi posteriori, ubi : uterque noster eandem rem emit à non Domino , cum emptio venditioque sine dolo fieret , traditioque est , sive ab eodem enimus , sive ab alio , is ex nobis tuendus est , qui primus jus ejus apprehendit , hoc est , cui primum tradita est ; si alter ex nobis à Domino emisset , is omnimodo tuendus est.



CASUS XI.

De manifestando vitio mercis.

Isaac Judæus cum quot annorum equus (quem vendere Adamo meditabatur) esset , interrogaretur , reponit. eum esse septem , septem annorum : germanicè , siben / siben Jahr. Adamus assertioni venditoris credens judicat equum esse septem duntaxat annorum , cum tamen post completam emptionem cognoverit , eum jam quatuordecim esse. Convenit ergo Judæum , & commissi tantæ enormis mendacij arguit : reponit Judæus , se ipsissimam veritatem dixisse , eò quod afferuerit equum esse septem , septem annorum , & bis septem conficiant quatuordecim.

Q. 1. An vitia extrinseca mercium sint manifestanda ?

Q. 2. An licitè occultetur vitium mercis , circa qualitates re-
fians , interroganti de hoc emptori ?

Q. 3. An vitium in substantia emptori sit prodendum ?

Q. 4. An & quando occultum vitium , circa qualitates tan-
tùm versans , Emptori etiam non interroganti manifestari debeat ?

Q. 5. Quid ad propositum casum sit respondendum ?